



: כאלהים

§. I.



quod sit aliquod ens omnium nobilissimum & perfectissimum, nulli Genti in rerum natura viventi, planè incognitum esse potuisse arbitror, dummodo oculos suos ad varias tam cœlestes quàm terrestres creaturas direxerit; quid enim ipsi potuisset esse tam apertum, tamquam perspicuum, cum Cœlum, tamquam opificium Dei admirabile, aspexerit, quam esse aliquod Numen præstantissimæ mentis, à quo talia omnia regantur & gubernentur. Nemo est tam rudis, inquit Lactantius (Firmian. divin. instit. l. 1 c. 2.) tam feris moribus, quin oculos suos in Cœlum tollens, tametsi nesciat, cujus Dei providentiâ regatur hoc omne, quod cernitur, aliquam tamen esse intelligat ex ipsa rerum magnitudine, motu, dispositione, constantia, utilitate, pulcritudine, temperatione; nec posse fieri, quin id, quod mirabili ratione constat consilio aliquo sit instructum. Hæc ille.

§. II. Hæc notitiâ Dei aliâs dicitur acquisita, propterea quod è contemplatione rerum creaturarum suboritur, quâ ductrice si processerunt, non potuerunt non pervenire & inquirere in causam aliquam primam, hunc in modum argumentantes: Si datur causa secunda, danda est necessario prima. Sed datur secunda. E. Major tali nititur principio, quia in causis essentialiter subordinatis non datur progressus in infinitum, si enim in illis daretur progressus

A >

in